




EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-522682-p0003-8

DFG



80.

90

HONORI ET GRATV-  
LATIONI NVPTI-  
arum,

*Nobilitate generis, doctrina, vir-  
tuteq; juvenis ornatis.*

PETRI MATTHÆI,  
V. NOBILISS. CLARISSI-  
MIQ. AC VERE EXIMII I. C.  
& Doct. atq; antecessoris quondam in  
Acad. VViteberg. meritissimi &c. Dn.  
MATTHÆI F. VV ESEN  
BECII, Spensi,


CELEBRATARVM  
Cum

*Virgine lectiss.*

S A R A,  
VIRI HONORATISS. SPE-  
CTATISSIMIQ Dn. BARTOLE-  
MAEI OSTERODII. civis Serve-  
stani, &c. F.

Carmina nuncupata ab ijs, quorum suis  
cuiusq; versibus nomina sunt subscripta.

SERVESTAE  
Anno Christi c<sup>lo</sup> DC. V.



## ΕΥΦΗΜΙΣΜΟΣ, &c.

**O**njugium humana fons est, & regula vita,  
Quam Deus insevit mentibus ipse piis.  
Ceu sibi cultores nasci vult ordine certo:  
Sic vult a nobis non sine lege coli.  
**C**asta DEVIS mens est, socialeq; fedus amoris  
Approbat, & sanxit vincula casta tori.  
**Q**uis quis es, o spurcos cane pejus & angue caveto  
Mores, quos perdet fulmen ab arce Iovis.  
**S**i dubitas, Sodoma terrorem incendia menti  
Incutiant, spreti vel gravis ira Noha.  
**C**asta pudicitia magni DEVIS organa semper  
Fecit, & aeterno sola favore beat.  
**E**rgo Sponse tibi meritò gratamur honores,  
O cultor oīuidio, Sponsa tibi q; tori.  
**V**vite felices, sed Christo vivite: Mundo  
Qui vivit, vivens creditur iste mori.

M. Wolfgangus Amlingus,  
συγχαίρω τοῖς χαίρεσσι.

ΧΟΡΟΣ

ΨΟΓΟΣ  
Impuri Cœlibatus Mona=  
chorum, &c.

**A** Ut castè, aut cautè monachorum rancida  
Pappi se jactat legibus ire sui, (turba  
Dum refugit casti socialia fœdera lecti,  
Et fætet cœco vulnere spurca cohors.

Vivere vos castè, recutitus credat Apella,  
O monachi! & quibus est credere falsa, fides.

Vivere vos cautè, quis nescit? factio, nomen  
Iesu ementiris qua sine fronte pium?  
Scit Deus, haud nescit Damon, mens conscientia pravii  
Arguit, & furis vos agitat Nemesis.

Sirapiet cautos ita Damon cautior omnes,  
Castus Esavita tunc ubi vester amor?  
Flammas ut Stygias, VVesebecci, fervidus ignes  
Dudum execraris non sine mente vagos  
Et cleri & secli: lectæ despensus amori  
Sponsa uni. Christus sit, rogo, vester Amor.

M. Caspar Ulricus.

A 2                   AD

A D. Dn. PETRVM  
MATTHÆVM VVESEN-  
BECIVM, SPONSVM.

**I**lla scholis quondam Grambe repetita  
magistris,  
Occasionem præbuit dicteriis.  
Quid voto, PETRE, quid tandem, MAT-  
THÆE, futurum  
Hoc autumas à me reprosto sapius?  
Sed non, ut cantus aures, mellisq; palatum.  
Satiate mens precationis tangitur.  
Hinc orando preces iterant noctesq; diesq;  
Suis Redemptor quas amicis praist.  
Et lessida olim modulatum carmen alumno,  
Ac Vatis à me Lesbij aptatum modis,  
Sponsorum thalamis votum commune repono  
Verbis iisdem versibusq; septies.  
Quoddum, Sponse, tibi probo munus: non ego flocci  
Pilivem morsus pendo Momi lividos.  
Rectè facta probi laudant, praviq; reprendunt:  
His te probare, qui sapius, nullus stude.

A

CA

PSAL

PSALMVS CXXIIX, VT  
EXISTIMATVR, SOLOMONIS, COM.  
MENDANS OMNIBVS HOMINIBVS, ET IN-  
primis coniugibus, timorem D EI, & manuum labore,  
utrumq; ad vitæ beatitudinem summoperè  
necessarium.

 Ter beatum, quem timor intimo 1.  
Tangit levov& pectore, nec sacra  
A lege divorsum in salebras  
Devius insinuavit error!

O te beatum, quisquis es aut eris! 2.  
Nam sorte quamvis paupere sis, tui,  
Illo favente, te laboris

Fenus alet. Facilem ille abunde  
Victum refundens, ut bene sit tibi,  
Cornuq; pleno copia suppetat;  
Rumore vortant ut secundo,

Cuncta operum tibi prospexit.  
Ceu vitis arctans palmite conjugi 3.  
Vlmos maritat; ceu viridi domum

Incingit amplexu stolonum:  
Sicut tua te sibolis feraci  
Stipabit uxor germine liberum,  
Mensam ambientum; termite uti suam,

Non


no. A

Non mentiente spem coloni,  
Arborem oliva onerans renodat.  
Hec sunt, Iehovam qui timet, hac viro  
Promissa vita commoda, qua manent,  
Eventibus rerum invidendis,  
Corde Deum ingenuo colentem.  
Arcis, Iehova, è sede Sioniae  
Lauto bonorum te cumulo obruet,  
Vrbemq; quasdem locasti,  
Commoditate beabit omni.  
Florente pacis quò Solyma ubere,  
Atq; Israelis incolumi statu,  
Natosq; natorumq; tecum  
Progeniem aspicias beatam.

Gregorius Bersmanus.

IN NVPTIAS

NOBILITATE GENERIS,  
VIRTUTE ET DOCTRINA ORNATISSIMI  
IVVENIS Dn. PETRI MATTHAEI VV ESEN-  
becij, & SARÆ OSTERODIÆ virginis  
honestissimæ, &c.



Rassata mors est hactenus ingenus  
VVessenbecorum diriter inclytum;  
Ceu stemma id universum ab imo  
Stirpitu eruita fundo.

Non

Non conqueror nunc funere de tui,  
Matthae Petre, olim patris optimi  
Vita beate functi, et intra  
Tecta poli hospitis haud recentis,  
Papinianum quem vocat alterum  
Catus colentum justitiam ac Themin,  
Et propter exhaustos labores  
Cui meritam invidet haud quietem.  
Sed ploro fratrem, Sponse tuum Petrum,  
Non pœnitendum quem patris assecram  
Mors flore sub primo juventa  
Surpuit, ac geminas sorores.  
Fleo propinquo sed tibi sanguine  
Iunctum, patriq; haud absimilem tuo,  
In Francia cuius jacentis  
Exuvias retinet Coburgum,  
Fleo Petrum illum ipsum V Vesebecium,  
Quem Iena novit, Leucoridum et schola.  
Antistitem juris celebrem  
Norica quem resonant Lycea,  
Et huius ambas funere filias  
Raptas, mariti fataq; conjugem  
Queror secutam: unde est ruinam  
Vestra domus minitata grandem.

Sancire

Sancire quam cognominis illi he,  
Qui restat illi filius unicus,  
Vxore quasita laborat,  
Proserat ut genus ad minores:  
Sancire eandem percipiens, Petre  
Matthae, quaris ducere conjugem,  
Procudere & prolem venustam,  
Et seriem generare longam:  
Vt juris extent inde Satellites,  
Sinceroris qui fidei bonas  
Et feligant partes, Paparum  
Fulmina bruta nihil morati.  
Iure ergogrator proposito pio,  
Votisq; jingo vota piis, ratum  
Et auguror vates futurum,  
Quod cupis, & tua S A R A spondet.

Iohann. Theopoldus,

A L I V D.

Allegoriatrium satorum Farina fermentatae.  
Genes. 18. v. 6. Matth. 13. v. 33.  
Luc. 13. v. 21.

**R**go, nec optato Voitum dignata cubili est,  
Nec VVESENBECLIO peperit VViteberga maritā?  
Vt

Vt SerVesta torum, & Vestam Servaret utrique,  
Ascaniusque pater patrem præstaret utrique.  
Sic vos, non vobis; sed, quid bene nota revolvo?  
Nota bonis, & nota DEO, æternisque minorem  
Consiliis nequicquam animum, sine more, fatigo?

Christus adest genijs comitatus, S P O N S E, duobus,  
Os humerosque DEO similis, prece supplice gaudens;  
Qualem excepit Abras, notus Pietate, Fideque  
Thariades, nemorosæ intrantem mœnia Mamræ.

Surge SARA! SARA surge! fores fac esse patentes  
Hospitibus tantis, triplicique è polline libum  
Depse, nec undantis fermenti parcito massæ!  
Ecce! VVesenbecij P R A T V M tibi nobile R I V O S  
Fundit aquæ, & tepidum mastræ superingerit amnem.  
Exsue virgineos candenti veste lacertos,  
Alteraque vices iam dextrâ, iamque sinistrâ  
Transversans confusa manu, dum palma subactum  
Formet opus, plausuque suum dilatet in orbem:  
Castus amor cœlo fornacibus aggeret ignes.  
Sic omnes numeros, sic omnia munia raræ  
Coniugis explebis, qua gaudet imagine pingi  
Sanctorum alma parens, REGNUM atq; Ecclesia CHRISTI.  
Sic & rite suas partes, sua munera obibit  
Qui tibi, mutuitans, arram dat Sponsus ad aram.

Principio MENTEM Prudentia formet & ornet:  
Quam pater omnipotens capitis fundavit in arce,  
Qua CEREBRI laqueata, & dædala templa patescunt,  
Subderet ut vires, veluti Regina, minores,  
Passuras Dominæ imperium, sceptrumque ministras.  
Qualia damna viro, & domui, proh! quanta dat urbi  
Fœmina mentis inops, Rationisque indiga rectæ?  
Commoda ceu contrâ domibus præstare videmus,  
Damnaque multa viris, totisque avertere regnis

SARA, Ec-  
clesia.

Tria sata fa-  
rinæ, Tres  
potentiaz A-  
nimæ.

I. ηγεμονι-  
κὸν seu λο-

γιστηρι.

Prudentia.

Plato l. 4.

Polit. Arist.

An & G.A.

B

Prudenti



Prudenti ductas ratione modoque maritas:  
Qualis Abigáil, qualis fuit Esther, Rutha,  
Monica, Alexandra, atque Volumina, Pulcherieque:  
Tantum absint docti que doli, fabricæque facetae  
Quas Vates odit Tragicus Thalamoque relegat:  
Absint Deiphobes folia, affaniæque crepantes  
Qualia Marcolfus, monstrique vxorq; sororq;  
Objicit alternis Salomoni ænigmata regi.

2. **Opuscula.**  
**Fortitudo.**

Mentem COR subeat, meliora vidensq;; probansq;;  
Deteriora cavens, media statione locatum,  
Conjugij patiens operum, patiensq;; laborum,  
Fortiter & tolerans constanti robore noxas,  
Damna, piacula, cruces, luctus, tristeisque reatus  
Quos Heva invexit, primævaque origine labes,  
Quos Themis, & rigidi parit inclemencia fati.  
Hec quidem AMOR residet, simul autem iræq; minæq;;  
Et scelus, & zelus, diræque, odia, atque furores  
In toribus stabulant, quæque aurea fæpe recusant  
Frena jubentis heræ, & divam mortalia frangunt.  
Mollior, ah! quoties hac sexus parte laborat?  
Ah! quoties frustra effusis retinacula tendens  
Fertur equis auriga, nec accipit axis habenas?  
Tu! ne cede feris, sed contra audentior ito,  
Quam sexus, pia virgo, sinat te, quamque quadrigæ  
Se in spacia addentes renuant patere lupatis;  
Vtere nec duce, sed cœu milite, pectoris æstu!  
Este, canes, procul hinc & Equæ, Xanthippe, Hecubeq;  
Tisiphone, Alesto, furijsque armata Megæra!  
Quales si quis alit te eto treis forte, gemellas  
Plutoni donet, tollatur ut unica gratis.  
Possem multa tibi possem nōcumenta referre,  
Exemplar quibus opposuit, Spiramine Paulus  
Afflatus propiore Dei, memorabile S A R A M,

Quæ

Quæ mater dici meruit cœleberrima matrum;

Mens igitur iubeat, Cor audiat, atque VOLVNTAS

Recta patret, Recto membra omnia rite ministrant,

Pars quibus inferior (ventrem quæ continet imum

Quæq; penum struit, & vitam sustentat alendo)

Suppeditat fessis vires, reparatque labori.

Sed quia nam Venus, & Bacchus, qui dira Cupido

In IECVR, atque imos tractus compulsa recessit,

Quas tamen in diversa trahit, sua quamque voluptas,

Sæpe fit, ut surgant audaci ad pectora flamma,

Iamque faceis, & tela volant, furor arma ministrat,

Et Venus in vinis, atque ignis in inguine regnat.

Hæc thalamo Scylla est, hæc implacata Charybdis,

Vnde gula, & luxus, unde alea, furga, libido

Pestem, perniciemque tori, & genus omne malorum

Pone trahunt secum. Sed tu, pulcerima rerum!

Temperie moderare feras, moderare capistris,

Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyæum.

Et frenis compesce malum, compesce catenis,

Principijsque obsta, & Dominæ sub signa vocato

Servilem turbam, famularum ignobile vulgus,

Queis premere, inque loco noris dare rursus habenas!

Sic cribra, sic modios, sic terna canistra farinx,

Dona laboratæ Cereris, potiora placentis

Expedies, Christo digna auspice & HOSPITE Christo.

Sæpe Animus dormit, stertit Cor, tota Voluntas

Tota sepulta jacet, quin mortua cuncta feruntur;

Arbitriumque hominis vincitum est atque indupeditum.

Hic opus hic acri FERMENTO, quale per omnes

Terraisque, tractusque maris, cœlumque profundum

Itque reditque potens; opus, inquam, voce Tonantis,

Quæ fremitu totum ætherio circumsonat orbem,

3. Επιθυμητή

ἢ Tem-  
perantia.

Fermētum,  
verbum Dei.

Mixtio & Mobilitate vigens, seque inter sidera condit:  
Subactio, Di Lege, Evangelioque opus est, precibusque fideque,  
ligens lectio Atque exercitijs, quibus ista subinde farinæ  
& medita Mucida, lenta, tenax, rudit, indigestaque moles  
tio verbi: Sursum attollatur, queis surgere discat in auras,  
Item Invo- Et fervore sacro, Zephyroque inflata tumescat  
catio, & alia Cœlesti, viresque pias acquirat eundo.  
exercitia pi- Fotuque assiduo, motuque vigescat, & usu,  
etatis. Dum Deus, ille DEVS, ter sanctus Numine missam  
Spiritus intus alit, Divumque infusa per artus  
Vis agitat molem, atque hominis se pectore miscet,  
Ut superos, faciemque auctoris imagine reddat  
Mens Patrem, Natumque animus, Flatumque voluntas.

Virtutes Car His tribus his tecum certabit, SARA, maritus  
dinales. Cic. Ille tuus novus: Indole, Robore, Temperieque,  
1. Off. Per quas alma Themis partes diffunditur una

Arist. 1.2 po- Cuique suum tribuens, & mutuus ardor honorque:  
lit. c. 6. Vnde boni cives urbi nascentur & orbi,  
Muret. 1. V. Et natu natorum, & qui ducentur ab illis:  
L. c. 14. Unus consiliis habitus non futilis auctor,  
Bælætne. Arma fremens alter, dum Tertius utile parcis  
Epiusse. Computat articulis, vitæque alimenta ministrat,  
Bionoratne. Vrbibus Hippodamus qualeis descriptsit habendos.

Non erit ille Nabal, non Laban, Euclio, Timon,  
Elpenor, Corydon, non Mopsus, Natta, Matæus;  
Sed, quorum PETRVS. MATTHÆVS nomina præfert,  
Patruus atque pater meritis super æthera notus;  
Cui neque sat dignam reperit mea cura Camœnam,  
Nec VVitebergæ parem reperit peperitque puellam.

Albertus Davidis F.  
Voitius.

VOTVM



# Votum Nuptiale.

**S**acerdoti celebrant VVesebe cum stemmate  
natus,

Et fax virginei SAR Apudica chori.

Tam bene vitigeni laticem miscere liquoris

Gaudet Cecropiis sedula dextra favis,

Tam bene fragranti miscemus Cinnama nardo,

Moscho fœniculum, lilia pulchra rosis:

Nec melius teneris proceras vitibus ulmos

Iungit vitifator, lux ubi veris adest.

Diva fave Sponsis, cui sacra jugalia cure,

Et placido vultu Cinxia luno fave:

Tuq̄ o, quo sine coniugij sacra gaudia frigent

Sancte Hymen venias, sancte Hymenæ veni.

Pax quoq̄ flaventes olea redimita capillos

Ad thalami confer gaudia lata pedem,

Acthyrso graviore feri duo pectora amantum,

Pelle procul litem, vimq̄ dolumq̄ fuga.

Non vobis sine coniugium constabit, adest:

Sic Sponsus conjunx, Sponsa marita cluet.

Tobias Hervigius.

B 3 AD

# AD SPONSVM.

**S**PONSE VVESENBECI, mox annumerande maritis,  
Mox nostri juvenum mox removende choro,  
Haec tenus immensi sinuosa volumina Iuris  
Volvere cum socio res Tibi grata fuit,  
Desit esse, aiunt, res grata repente, roganti  
Causam respondent: totus, amat, periit.  
Iudice me, merito proprio labuntur & errant  
Consilii immemores propositique tui:  
Tu potius studium cupis & geminare labore  
Acquirens quod agas, non requiescis, amans.  
Non Tibi sufficiunt Iuris duo CORPORA, nobis  
Quæ Iustinianus Pontificelque danunt,  
In nova fert animus perfectum reddere trinum,  
Tertium adhuc CORPVS iungere CORPORIBVS,  
Nec male sors cecidit, iam iam potiere tenello  
Ambito pulchro CDRPORE virgineo,  
Quod multis doctrinis cautelisque refertum  
Is neget, ingenium qui negat esse Tibi.  
Indicat id titulus gratusque in fronte character,  
Mistæ in se rubeæ candidulæque notæ.  
Dignum Praxitelis digitis & pollice, quale  
Mittere vix Latium aut Francia posset opus:  
Dixi, hoc inferior cudit Germania solers  
Cum primum aspectus copia facta mihi.  
Attainen ut cuncti mirantur, solus habere  
Dignus, qui hoc tractes CORPVS, honore pio.  
Sed bene Tu, nam Te præter tractare nequibat  
Alter, seu Superis seu Corydone fatus,  
Tu quippe innumeros casus OBSTATque notare  
Et lustrare potes CORPORA, more Patris.

Tu

Tn virtute Patris mira & brevitate resolves  
Nodos difficiles multiplicesque theses.  
Tum post emissos sudores forte trimestres  
Ter, studij specimen largiter ede tui !  
Auguror, accurrent quorum conatibus obstat  
Nescio quid, tacitum consiliumq; petent.  
Sic Consultus eris Iuris, sic Doctor & acer  
Corporis excultor, sic studiosus eris,  
Is cui virgo liber, cui theca est sponda, recessus  
Cui studium, cui laus basia surripere.  
Te beet iste LIBER numerosi prole, Paterna  
Quot juris libros Bibliotheca capit.  
Sic Tibi longævam vitam simul esse precatum  
Me reor. interea crescito, vive, vale.

*Iulius Etzlerus.*

A L I V D.

  
Virore puro Castalia lavas  
Crineis solutos, qui Lycia tenes  
Dumeta, natalemq; sylvam,  
Arcum humeris positure nunquam  
Apollo sacri verticis incola !  
Ades, latebris pectoris irruer  
Mei illico, dulciq; Sponsis  
Suggere voce talassionem.  
Talassionem suggere, quod dies  
Præsens sonora sit celebris lyræ,

*Et*

Et personantum tibiarum  
Vesperes sub rutilante cantu.  
Gratare tada gratus honoribus,  
Gratare, præfert namq; toro faces  
Cupido, præfert ipsa ceston,  
Quâ genitrice Cupido gaudet.  
Vltrō petit is annuit en meis  
Favet q; vestris Phœbus honoribus,  
En mutua jam signa clarum  
Latice dat aperta cœlum.  
Vobis precatur fausta polus, bene  
Vobis precantur sidera, Lumine  
Titana propulsare noctis  
Splendidiore videt is umbram.  
Hinc E<sup>Σ</sup> beatum ex omnibus unicum  
Te, Sponse, quivis predicit, hinc viri  
Vitute præstantes suoq;  
Ordine te juvenes sequuntur.  
Suamq; coram laticiam tibi  
Testantur omnes: Virgine te frui,  
Cuius patem præclara priscum  
Haud Sorabum tenet urbs alitve.  
Qua laude Formæ qua reliquas Probi  
Decore nymphas anteit; omnia

Quan-



Quantum suo præstare Phœbum  
Luminis astra nitore constat.  
Hinc & beatam ex omnibus unicam  
Te, Sponse, qui vis prædicat, hinc tibi  
Matrona, & hinc denso puellæ  
Agmine se comites dedere.  
Suamq; coram laticiam tibi  
Testantur omnes: in thalamos virum  
Venire talem, cuius est frons  
Omnibus & pietas probata.  
Sicco parentem prætereo pede  
Cuius stupendam in Iure Scientiam  
Europa demirata, cuius  
Eunomia Arte hodieq; gaudet  
Preclara cui non gens VVESEBECIDUM  
Doctrina cui non cognita nobilis,  
Quia præit omnes luriis acri  
Cognitione celebriores.  
O conjugum par compositum bene!  
Nam, quos beatos jambona finxerat  
Fortuna, tandem Tadareibus  
Fecit ab omnibus absolutos.  
Quid ergo restat, quid superest, nisi  
Vt SARAPETRVM diligat, ut pari

C

Amore

*Amore Saram Petrus unam s  
Mutuus ut sit Amor Fidesq.  
Sic Iova, cursu Phœbus ubi suo  
Novena fervens astra cucurrit,  
Torum beans vestrum suāvi  
Vos sobole faciet parentes.*

Petrus à lhena Servestanus

EIVSDEM  
Distichon χερολογικόν.

LVX Vbi nona polo Septembris fulget ab alto,  
Sacra petit PetrVs VInCLa VVelsenbeCIVs.

A L I V D.

**N**umquid Es, opie Sponse, patas connubia?  
numquid  
Idalio gestis subdere colla jugo?  
Hoc est nimirum, quod nuper lumine sensi,  
Solus in astivis cum spatiarer agris.  
Ecce repente mihi ruit obvia mater amorum,  
Gypsatis manibus te, puer ales, habens.  
Gestabat puer ex humeris pendente pharetrâ  
Diversorum operum tela parata duo.  
Hoc fugat, ast illo jucundum infligit amorem:  
(Sic etenim natum fabula docta sonat.)

Quod

Quod facit auratum est, mucrone  $\mathcal{E}$  fulget acuto,

Quod fugat è plumbi cuspide semper hebet.

Ast hos dum celerate fugam, dum vertere terga

Conspicor, inq<sup>z</sup> alacrem se penetrare fugam.

Quò fuga? quò ruit is? clamo; quò tendit is? ecquid,

Dicite, vos cursum cogit iniicatum?

Tum conversa Venus: non te, non quarimus, in-

Nos sed opima magis preda petita manet. (quit,

Talia dum mihi voce refert: en fortè cohortem

Pulcrorum juvenum cerno praire mihi.

Illi causa animi pergebant, credo, levandi

Quercubus in nigrum non procul urbe nemus:

Auribus ut biberent philomela dulcè querentis

Cantum, qui mæstis sapè medela venit.

Temporis aut ergò fallendi: ut turba Minerva

Sacrata à studiis se recreare solet.

Hos celeri insequitur, celeri assequiturq<sup>z</sup> volatu

Cum pueri ignipotens Aphrogenia suo.

Sectatur veluti conspectam in saltibus altis,

Multo agilis cervam pastor agitq<sup>z</sup> cane.

Donec coniecta transfigat arundine tactam,

Inq<sup>z</sup> suos casses precipitanter agat.

Non minus incautis instabat alacriter, uni

Alma ferens dulcem Cypris amaritem.

C 2

Contigit

Contigit at vacuos rapidis ubi passibus illos,  
Teligerum affatur talibus ore Deum:  
Nate, mea vires, mea magna potentia, nate,  
Si quid ab arte vales, nunc mihi id omne vale.  
Aurea nunc gravidis depromito tela pharetis,  
Arcuq; intento, quem tibi monstro, pete.  
Ille calore etenim, credas, dignissimus aureo.  
Fervens torri si c tuà ab arte jecur.  
Excitas parvis genus, & natalia parvis  
Invenies, qui sit sanguine cretus homo.  
O quantus vir erat pater huius in arte peritæ  
Quàm doctus juris, consiliisq; potens!  
Quàm duplicitis bene erat huic nota volumina juris,  
Quod voluit gnava nocte dieq; manu!  
Hinc & consiliis vir consultissimus aula  
Aequis Saxonica præfuit ille suis.  
Clara VVesenbecia queis non bene cognit agentis  
Nomina? quos huius famaq; lausq; fugit?  
Leucoris alma mihi testis, Saxonia testis,  
Totam mihi testis Teutonis ora venit.  
Huius ab auratis traiecta per ossa medullas,  
(Inquam) misilibus ladito molle tuis.  
Hac Venus: ast nervo geminis lunata lacertis  
Protinus adducto cornua flectit Amor.

Palladius

Palladius licet, & petrasis durior ipsa;

Petre, tamen figit te meus arcus, ait.

Extemplo lateris sensit lavi ille dolorem:

Tam subito juvenes alterat ager amor!

Nam prius Aonidas vigili qui mente colebat;

Nunc amat, & dulci victus amore iacet.

Quem prius imperio miti Themis almatenebat;

Nunc huius tota regnat in arce Venus.

Qui prius haut, quid hymen, quid amor, connubia

Nunc, o Sara, tuo totus ab igne calet. (curans,

Nec mirum: quis enim non tali corpore nympham,

Quam virtus decorat, cum pietate, probet.

Quantò splendidior, quam cetera sydera fulget

Lucifer, & Veneris sydere Lunanitet;

Tantò virginibus præstantior omnibus una est,

Quam legis è multis, optime Petre, tibi.

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus:

Cui pia virgo datur, dote sat aucta datur.

Crediderim ergo nefas, tibi si gratarer amores.

Non illos, felix quos Erycina dedit.

Dum constanter utrosq; animo vos iungit amates;

Vtq; liquet, telo lasit utrosq; pari.

Felici ergo ineant vestri connubia recti

Omine, sit voti hac summa caputq; mei.

C 3 Septimus

Septimus aut nonus mensis vos prole secundet  
Ludente ante patris, matris & ante pedes.  
Hac matrem referat genuina fronte pudicam,  
Illa sed ingenii dexteritate patrem.  
Addo, triseclisenis, Sponse o pie, Nestoris annos,  
Sponsa & agas diu tempora longa SARAE.  
Vivite felices, precor omnia prospera vobis,  
Incidat & vestro nulla querella toro.  
Sitamen obijciet quiddam sors forsitan acerbi,  
In melius fatis lenibus omne cadat.

Honoris ergo deproperabam

Martinus Vierthalerus  
Cothenus.

## ALIVD.

Elix, qui statuente Deo sanctumq; piumq;  
**P**Cum casta thalamum virgine ritè colit.  
Prædicat hinc omnis merito omni ex parte beatum  
TE, PETRE, materno sanguine juncte mihi!  
(Nam tibi quæ soror est, ego caram appello parentem,  
Hinc tibi qui Pater est, is mihi factus avus.)  
Quod, quem Fortunæ fecit iam dotibus auctum  
Iova DEVS, varijs ingenijq; bonis:  
Idem legitimo tibi iungat amore puellam  
Participemq; eori, participemq; tui.  
Quæ reliquas inter præsignibus aucta puellas  
Corporis excellit dotibus atq; animi:

Quantum

Quantum ante astrorum reliquos nitidum caput ignes,  
Aurea conspicu<sup>o</sup> tollit ab axe Venus,  
Exoptata diu tibi adest, multum, ecce, petita  
Iam venit in thalamos, Sponsa, puella tuos.  
Exoptatus adest tibi, Sponsa, diuque petitus  
Sponsus, in amplexus fertur & ipse tuos.  
**CHRISTE** Deus, sacri fortissime præses & auctor  
Conjugij, Sponsis gratia adesto novis!  
Ut faciant omni vitæ tibi tempora grata,  
Et vera vivant in pietate tibi.  
Redde pium nobis etiam, rogo, redde **PARENTEM!**  
Qui pater esse potes, qui pater esse soles.

Laurentius Biderman F.  
Witbergensis.

A L I V D.

**D**Vm gaudes, Neonymphe docte, casti  
Fædus coniugiale inire lecti,  
Votis ad tua cœpta eges piorum.  
Linguis ergo animisq<sup>ue</sup> gratuletur  
Sponso nunc pius omnis atq<sup>ue</sup> dicat:  
Christe, coniugij auctor atq<sup>ue</sup> fautor  
Sponsorum bene prospera novorum  
Cœpta, inspira & amoris his favillam  
Casti, ut his ita ritè coniugatis  
Fæcundus thalamus sit & secundus.  
Id quod opto & ego ultimo hoc Phalanco.

Iohannes Strasburgus Lipsensis.  
A L I V D.

A L I V D.

Vm Deo visum thalami jugalis  
Sic sit authori, ut thalami cubile  
Scanderes: quare hostibi, Sponse amice,  
Grator honores.

Et precor, summus Deus ut secundet  
Has tui tadas thalami maritas,  
Teq<sup>u</sup> cum Sponsa faciat perenni  
Prole beatum.

O Deus, vasti moderator orbis,  
Angelus semper tuus his novellis  
Excubet sponsis fac, & astet illis  
Pax tua semper.

Wilhelmus Strasburgus  
Lipsensis.

F I N I S.



Mv 1996

8°

v



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!  
28 a / 50 1996/

V 3 17 2410

11 PX



